INDEX
LECTIONVM

QVAE

AVSPICIIS REGIS AVGVSTISSIMI

GVILELMI

IMPERATORIS GERMANICI

IN

VNIVERSITATE LITTERARIA
FRIDERICA GVILELMA

PER SEMESTRE AESTIVVM

A D. XVI. M. APRILIS VSQVE AD D. XV. M. AVGVSTI A. MDCCCLXXXI

HABEBVNTVR.

1881

Vahlen, Observationes alterae ad Taciti dialogum de oratoribus.

BEROLINI
FORMIS ACADEMICIS
(G. VOGT).

VNIVERSITATIS LITTERARIAE

FRIDERICAE GVILELMAE

RECTOR ET SENATVS.

Prolusuri de more lectionum academicarum enumerationi ad Dialogum Taciti (credimus enim Taciti esse et hanc originem futilibus rationibus impugnari) redimus, de quo in prooemio m. Aprili a. MDCCCLXXVIII scripto nonnulla disseruimus. In quo prooemio cum alia pertractavimus tum tetigimus verba illa quae capite XII, 17 in Adolfi Michaelis exemplari in hunc modum expressa sunt: *ceterum felix illud et ut more nostro loquar aureum saeculum et oratorum et criminum inops poetis et vatibus abundabat qui bene facta canerent non qui male admissa defenderent, nec ullis aut gloria more **** aut augustior honor, primum apud deos, quorum proferre responsa et interesse epulis ferebantur, deinde apud istos diis genitos sacrosque reges, inter quos neminem causidicum sed Orphea ac Linum ac si introspicere altius velis ipsum Apollinem accepimus.* Praetermittimus sententiae conformationem in qua tamen est quod acriter attendenti non satis commode aut concinne elatum videatur, si quidem Maternum, in cuius haec oratione leguntur, recte credimus hoc sensisse, *nullis augustiorem quam poetis honorem fuisse, quippe qui in honore essent primum apud deos, deinde apud dis genitos reges,* sed astringendae orationis studio abreptum necessariam partem non raro in hoc libello exemplo reticuisse. Sed de una voce *more* agimus, quam scripti libri exhibent, nisi quod est in Leidensi *mor*- -, in Vaticano (A) interstitium est post *more,* in eodemque et in Farnesiano *in ore* superscriptum legitur. Defectum, quem cum aliis Michaelis statuebat, nos, quoniam *erat* in huius scriptoris sermone non desideraretur, olim nullum esse scripsimus sed plenam et

aptam fore orationem, modo *maior* a Lipsio repertum restitueretur pro *mor* sive *more.* Neque mutamus sententiam, sed poteramus eam firmius stabilire: id quod nunc instituimus. Etenim vitii naturam declarare, tum praetereundo hunc locum perstringentes, negleximus. De qua si quis dubitet isque incredulus a nobis quaerat, unde mirum illud *mor* ortum esse existimemus, respondebimus librarii oscitantiam transpositis litteris ex *maior* effecisse *iamor* idque cum praecedente *gloria* coaluisse in *gloriamor,* id est in ipsum quod apographorum indicia consideranti dubium esse non potest quin in communi omnium exemplari exstiterit. Nihil singulare sumimus, sed frequens est is error et in multorum scriptorum codicibus obvius qui traiectis ad hunc modum litteris continetur. Cuius vitii pauca ponemus exempla, quo maior illi coniecturae fides accrescat et ut aliquid fundamenti substruamus reliquae disputationi nostrae. In Ciceronis Legibus 2, 22, 57 in libris Vossianis est *quam iusta facta et corpus caesus est,* et error errores traxit, donec Luebbertus perspexit, quod librarii *corpus* fecissent, fuisse *porcus caesus est.* Apud Livium 23, 42, 13 liber optimus habet *Numidarum paucorum illi quidem praeda erunt praesidiumque misul nobis et nolae ademdemeris,* ac pridem intellectum est Livium *praesidiumque simul nobis et Nolae ademeris* scripsisse, miramurque Weissenbornium et Madvigium noluisse in hac simplici correctione acquiescere. In vitam Terentii a Ritschelio adnotata (Opp. 3, 214) qui perlustraverit, intelliget in Vagellii (sive is rectius Vallaecius dicitur) versibus *retentius* scriptum pro *Terentius* mirum quantas turbas dedisse. Senecae in dialogis p. 287, 23 K. cum in libris esset *rerum omnium pacacissimum* (vel *pacatissimum*) *eius pectus,* Gruterus scriptori reddidit quod verum est, *capacissimum*; apud eundem p. 174, 26 in Ambrosiano codice exhibetur *in quo necsorium crimen erat;* olim *censorium* correctum est, sed levissimus error vitiorum ferax fuit in libris vulgaribus. Lucilio Lachmannus primus restituit 222 *illorum si possim paci' potiri,* cum Nonius *capis sortiri* tradidisset. Neque Ovidius in Arte 2, 729 scripsit quod novissimus editor tenet cum libris *Hic tibi versandus tenor est,* sed quod olim vulgabatur *servandus.* In Catulli autem carmine 68 mirifice alucinantur docti, qui in versu 54 *maesta neque assiduo tabescere lumina fletu Cessarent,* quia *numula* est in libris, spreto Italorum iudicio, poetae *pupulam* qua nihil hoc loco ineptius dici potuit obtrudunt. Possumus addere alia ex variis scriptoribus collecta, nec Latinis solum sed etiam Graecis (nam ne a Graecorum quidem libris hoc genus errorum alienum fuit, in quibus talia λάθοιεν — θάλοιεν; μυθοῦσθαι — θυμοῦσθαι; ἄμορφος — ἄφορμος; μεθιστοκλῆς — Θεμιστοκλῆς permutata leguntur) sed et illa satis sunt quibus praesidii quiddam paretur tam illi scripturae, quae nobis disputandi principium fuit, quam emendationibus iis quas iam temptaturi sumus. Propertius enim in elegia quarta libri quarti Tarpeiae Tatii amore incensae haec verba dedit, si modo dedit:

Si coniux pariamve tua regina sub aula,
Dos tibi non humilis prodita Roma venit.
Si minus, at raptae ne sint impune Sabinae:
Me rape, et alterna lege repende vices.

Sic haec Lachmannus praeeunte ex parte Iacobo de Puccii coniectura edidit in altero exemplari. Ac *pariamve* librorum auctoritate non destituitur, quippe a quo vix distet quod is qui Neapolitanus appellatur exhibet *pariamne*; eodemque ducere Groningani scriptura *pariam tua ne* videtur. Neque hoc ut mittamus movemur iis quae nuper nova ex novis suisque libris attulit Baehrensius. Qui vero *pariendi* commemorationem ab hac oratione alienam ducentes comminiscendi licentia vagati sunt, ii veremur ne nimis delicati quid huic puellae decens sit aut hoc poeta dignum non satis recto aut libero iudicio aestimaverint. Itaque nos illam formam Lachmanno probatam haud cunctanter tueremur, nisi initium versiculi labem traxisse librorum fides persuaderet. Nam quod omnes habent, ne Baehrensii quidem libris exceptis, *sic hospes*, id quidem ex illis *si coniux* effectum esse nemo facile credet. Quare nos cum sententiae necessitatem sequeremur et illud forte genus vitiorum de quo diximus in mente haberemus, in eam incidimus opinionem, ut a poeta quidem *si posces* scriptum fuisse, id autem per scribendi errorem a librario illa metathesi in *si cospes* hoc est *sic hospes* deformatum esse coniiceremus. *Poscendi* verbum sive addita sive omissa uxoris significatione paene legitimum est in petenda uxore legitima. Sic Plautus loquitur, in Aulularia 32 W. *eam ego hodie faciam ut hic senex de proxumo Sibi uxorem poscat;* 34 *et hic qui poscet eam sibi uxorem senex;* 158 *quam maxuma possum tibi frater dare dote: Sed grandior es: mulieris est aetas media. Eam si iubes frater tibi me poscere, poscam;* 217 *filiam tuam mihi uxorem posco;* 222 *cur igitur poscis meam gnatam tibi.* Idem in Trinummo 384 *tibi permitto, posce, duce;* 386 *tute ad eum adeas ut concilies, tute poscas;* 450 *meus me oravit filius Ut tuam sororem poscerem uxorem sibi;* 499 *sine dote posco tuam sororem filio;* 571 *de dote mecum conveniri nil potest: Quod tibi lubet, tute agito cum gnato meo. Nunc tuam sororem filio posco meo.* Itaque cum Tarpeia dicit

Si posces pariamve tua regina sub aula,
Dos tibi non humilis prodita Roma venit.
Si minus, at raptae ne sint impune Sabinae,
Me rape, et alterna lege repende vices,

poscendi verbo apte adduntur quibus illa notio definitius exprimatur more poetis frequenti, quamquam saepe ab interpretibus parum recte accipitur, eidemque verbo apposite, quod Plauti exempla demonstrant, dotis mentio subiicitur, denique, quo pondus et vis sententiae continetur, *poscendi* et *rapiendi* condiciones egregie inter se opponuntur, ad eum fere modum quo Ovidius dixit Metamorphoseon 5, 415 *non*

potes invitae Cereris gener esse: roganda Non rapienda fuit; et 6, 701 *socerque Non orandus erat, vi sed faciendus Erechtheus.* Simile vitium, ni fallimur, alterum alterius carminis Propertiani versum infecit III, 8.

Dulcis ad hesternas fuerat mihi rixa lucernas,
 Vocis et insanae tot maledicta tuae.
Cur furibunda mero mensam propellis, et in me
 Proiicis insana cymbia plena manu?
Tu vero nostros audax invade capillos,
 Et mea formosis unguibus ora nota,
Tu minitare oculos subiecta exurere flamma,
 Fac mea rescisso pectora nuda sinu.
Nimirum veri dantur mihi signa caloris:
 Nam sine amore gravi femina nulla dolet.
Quae mulier rabida iactat convicia lingua — —
His ego tormentis animi sum verus aruspex,
 Has didici certo saepe in amore notas.
Non est certa fides, quam non iniuria versat.
 Hostibus eveniat lenta puella meis.

Paene totum carmen descripsimus. Atque est sane necessarium totius elegiae tenorem et consilium perspici ut de uno versu recte iudicetur undevicesimo, *non est certa fides, quam non iniuria versat.* Qui ut legi solet vix suspicionem vitii moveret, nisi Neapolitanus liber, cui plurimum tribuere nos nondum desiimus, aliam scripturam, non *iniuria* sed *iniurgia,* offerret; id quod non potest non advertere eum, qui unde profectus sit poeta ut par est attenderit. De iurgiis enim et conviciis a Cynthia in se iactis is sibi gratulatur, quoniam ex iis vero eam amore torreri augurium capit. Itaque illud indicium persecuti, leni opera, pro *versat* transpositis litteris scribendo *vertas,* nanciscimur sententiam quae melius, certe non deterius, quam quod adhuc vulgatur, ad mentem poetae facit: *Non est certa fides, quam non in iurgia vertas.* His addere volebamus eiusdem generis corruptelae exemplum tertium ex Plauti Epidico repetitum II 2, 103 *Opus est homine qui illo argentum deferat pro fidicina. Nam te nolo neque opus factost.* Sic enim *te nolo* scribendum esse pridem nobis persuaseramus quod in libris per similem metathesim litterarum depravatum habetur *telono.* Sed nunc dum scribimus hoc ab Ussingio, qui hanc fabulam nuperrime a se recognitam edidit, esse occupatum videmus. Quare quoniam in hac parte ὑστεροῦμεν ut fit, et hanc coniecturam omittimus et quae praeterea de toto loco minime iam plane expedito, a Goetzio autem valde perturbato expedituri eramus.

Ad Dialogum unde egressi sumus revertimur, addemusque paucula quibus

huius libri emendatio adiuvari posse videatur. Nihil grande temptamus: ita quin immo sentimus nonnulla in hoc libello posse rectius scribi quam in editionibus circumferuntur, modo pareamus apographorum quae optima habentur testimoniis, aut si qua vitiosa sunt in iis, eorum vestigia subtilissima anxietate persequamur; nonnumquam enim ubi ex apographorum dissensu communis exemplaris scripturam erueris, aut ipsum verum apparet aut quod proximum est a vero. Cuius generis olim exempla pauca deprompsimus; obtinemus enim quae affirmavimus, c. XXXI, 36 nec *civem* nec *artem* sed *comitem* (*c̄item*), capite autem XXII, 15 *oportet* (*opꝫet*), denique c. XXVI, 15 *clamet* (*clāet*) primitus scripta fuisse, quibus positis reliqua emendatio aut nulla est aut nullo negotio perficitur. Nunc adiiciemus similia. Incipimus autem a levidensi correctione quam ridebunt ii qui nesciant illam indefessam curam quam veterum libris impendere officii nostri hoc est philologorum ducimus. Capite enim XXIX, 8 in editorum libris haec leguntur: *Quin etiam ipsi parentes nec probitati neque modestiae parvulos assuefaciunt sed lasciviae et dicacitati, per quae paulatim impudentia inrepit et sui alienique contemptus.* Quis vituperabit haec? Tamen sic scriptum reliquisse Tacitum minime certum videbitur ei qui codicum apices excusserit; ex quibus Michaelis haec adnotavit: *nec probitati* Leidensis, *improbitati* superscripto *l nec* Vaticanus (A), *nec improbitati* Farnesianus; reliqua quae nihil ad rem faciunt omittimus. Opinamur apertum esse, *improbitati* ex communi fonte ductum, quod quoniam adversari sententiae vel caecus videre poterat, a correctore, ducente praesertim proxima *neque* particula, superimposito *nec* mutatum est in *nec probitati.* Quod quamquam ineptum non est, tamen ea res nostri arbitrii est, et si quid probabilius est in promptu, aspernabimur illum correctorem. Est autem probabilius *non probitati,* quod cum ita exaratum esset *n̄probitati,* abiit in *inprobitati* eo modo quo c. XXIII, 16 *sanitatem non firmitate sed ieiunio consequuntur* pro necessaria scriptura *non firmitate* in Farnesiano libro *infirmitatem,* in Vaticano cum Leidensi gliscente errore exaratum est *infirmitatemque.* Et quid lucramur hac admirabili coniectura qua *non* reponitur pro *nec*? Nempe hoc lucramur, ut aptior evadat oratio et huius scriptoris mori convenientior. Nam haec inter se opponuntur *non probitati sed lasciviae,* illi autem per *neque* alterum adnectitur *modestia.* Et sic solet Tacitus in hoc libro: c. XII, 4 *non in strepitu nec sedente ante ostium litigatore carmina componuntur sed secedit animus in loca pura;* c. XIX, 5 *non infirmitate ingenii nec inscitia litterarum transtulisse se ad illud dicendi genus sed iudicio et intellectu;* c. XXI, 40 *non eminent venae nec ossa numerantur sed temperatus ac bonus sanguis implet membra;* c. XXIX, 19 *colligunt discipulos non severitate disciplinae nec ingenii experimento sed ambitione salutationum et illecebris adulationis;* c. XXXI, 2 *intellegebant opus esse non ut in rhetorum scholis declamarent nec ut fictis controversiis linguam modo et vocem exercerent sed ut illis artibus pectus implerent;*

c. XXXVI, 35 *cum testimonia quoque in iudiciis publicis non absentes nec per tabellam dare sed coram et praesentes dicere cogerentur;* c. XXV, 33 *arbitror Brutum non malignitate nec invidia sed simpliciter et ingenue iudicium animi sui detexisse.* Ad hunc igitur modum librorum indiciis ipso suffragante Tacito velimus illo quoque loco scribi *ipsi parentes non probitati neque modestiae parvulos assuefaciunt sed lasciviae et dicacitati.* Iniuria putamus apographorum paene consensui non obtemperasse editores capite XXXV, 17 *nempe enim duo genera materiarum apud rhetoras tractantur, suasoriae et controversiae. ex his suasoriae quidem tamquam plane leviores et minus prudentiae exigentes pueris delegantur, controversiae robustioribus adsignantur, quales per fidem et quam incredibiliter compositae.* Sic enim haec eduntur ab omnibus. Atqui praecedente *quidem* particula in altera parte orationis *autem* desiderare possit qui morem Taciti attenderit, qui ita scribit c. XVIII, 27 *Calvum quidem Ciceroni visum exsanguem et aridum, Brutum autem otiosum atque diiunctum, rursusque Ciceronem a Calvo quidem male audisse tamquam solutum et enervem, a Bruto autem tamquam fractum atque elumbem;* et saepius similiter, c. VIII, 26 *et ceteros quidem .. Marcellum autem;* c. XXV, 16 *Cicero quidem ... Calvus autem.* Sed eam particulam quominus addendam reamur, codicum indiculi retinent, quorum Vaticanus et Leidensis *quid et si,* Farnesianus autem *quidem etsi* exhibent. Ecquid dubitamus testatam scripturam hanc esse *ex his suasoriae quidem etsi (quidē et si) pueris delegantur, controversiae robustioribus adsignantur.* Quam qui suo arbitratu reliquerit, nobis non profuisse sed obfuisse sententiae videtur. Nam *quidem* in hac quoque oratione locum tuetur suum, Tacitus autem noluit suasorias et controversias pari iugo coniungere, sed hoc dicit, in suasoriis quidem etsi minus damnum sit, quia minoribus attribuantur, controversias plus nocere in quibus robustiorum ingenia contundantur et hebescant. Addimus alia quibus quae vera sunt fastidiri videmus non maiore iure sed cum detrimento orationis non minore. Capite XXXVIII, 21 editoribus haec placuerunt: — — *exceptis orationibus Asinii quae pro heredibus Urbiniae inscribuntur, ab ipso tamen Pollione mediis divi Augusti temporibus habitae, postquam longa temporum quies et continuum populi otium et assidua senatus tranquillitas et maxime principis disciplina ipsam quoque eloquentiam sicut omnia alia pacaverat.* Nihil in his magnopere reprehendimus; quamquam dubitamus, quam recte *maxime* de Haasii coniectura in textu positum sit. Cum enim libri ita discedant ut Vaticanus cum Leidensi *maxima,* Farnesianus autem cum suis asseclis *maximi* praebeant, ambigere quidem licuit utram harum scripturam praeferres, nam utraque habet quo commendetur, *maxima* ne *disciplina* sola careat epitheto, *maximi* autem *principis* scribi potuit ut est apud Senecam ad Polybium 6, 5 (277, 14 K.) *principis maximi animo subiici,* sed tertia praeter illas quod coniiciendo efficeretur nihil erat, et ratio iubet in re ambigua meliori auctoritati cedere, quam in hoc libello nemo

dubitat Vaticani codicis esse. Sed esto: neque enim hoc potissimum agebamus, verum in extremis verbis aegre ferebamus contemni ab editoribus apographi quod optimum diximus testimonium certissimum. Nam illa *sicut omnia alia pacaverat* quae hodie vulgantur Farnesiani codicis sunt, testis ut saepe specie blandientis ita sublestae plerumque fidei, et nunc quidem perspicuum videtur eum offerre quod correctoris ingenium deceat, veterem scripturam unum servare Vaticanum, *ipsam quoque eloquentiam sicut omnia depacaverat.* Nam *alia* poterat illud quidem correctori non nimis prudenti addendum videri, ut nostris editoribus decipiente Farnesiani libri auctoritate visum est: nos negamus requiri, immo melius et ad sententiae vim utilius abesse. Firmant iudicium exempla, quae afferri multa possunt, sed satis sit unum, Petronii, qui plane eandem in rationem scribit c. 4 *primum enim sicut omnia spes quoque suas ambitioni donant.* Sed *depacare* nullo probare exemplo possumus, neque tamen idcirco destituemus aut Farnesiano codici, quem modo fallacem deprehendimus, *pacaverat* restituenti accedemus. Nam et recte formatum verbum est et analogia fulcitur multorum, *demulcere, delinire, demitigare, delassare,* nec denique huius libelli sermoni desunt quae nos non possumus nisi pro singularibus habere, velut *planitatem* pro perspicuitate praeter hunc scriptorem quis dixerit nescimus. Pergimus patrocinari apographorum fidei. Etenim capite XXXVII, 41 haec exhibentur in libris: *Quis ignorat utilius ac melius esse frui pace quam bello vexari? plures tamen bonos proeliatores bella quam pax ferunt. similis eloquentiae condicio. nam quo saepius steterit tamquam in acie quoque plures et intulerit ictus et exceperit, quo maior adversarius et acrior qui pugnas sibi ipsas desumpserit, tanto altior et excelsior, et illis nobilitatuscriminibus in ore hominum agit quorum ea natura est ut secura velint.* Quae quibus quotve modis demutaverint critici enarrare supersedemus: proficiscimur ab ea parte qua certe peccatum est a librariis: *nobilitatuscriminibus.* Hinc Lipsius felici coniectura *discriminibus* suscitavit; de reliquis discedunt editores, quorum pars *nobilitata discriminibus,* alii *nobilitatus discriminibus* restituunt. Nos illis calculum adiicimus, quod primum corruptelae ratio suadet. Quippe *nobilita* pro *nobilitata* scripto, ab hoc errore vulgari factum est, ut *nobilitadiscriminibus* syllabis prave diductis abiret in id quod apographa occupavit *nobilitatuscriminibus.* Deinde sententiae sic melius consulitur. Ab eloquentiae enim condicionibus orsa est oratio, ac licet superiora *quo saepius steterit tamquam in acie quoque plures et intulerit ictus et exceperit* possint illa quidem etiam de oratore accipi, proxima *tanto altior et excelsior (est)* nisi ad eloquentiam non apte applicantur; neque huic parti sententiae satisfaciunt qui *nobilitatus* retinentes, ut omnia ad oratorem referantur, in superioribus aut *oratoris* nomen aut aliud quo orator significetur addendum esse opinantur: id quod nobis eo quoque nomine improbatur, quia rationi consentaneum est, manifestum errorem corrigi ita, una ut cor-

rectione defungi liceat. In reliquis quae seiuncta sunt ab hac summa quaestione nos nihil novatum imus. Nam quod dicit Tacitus *quo maior adversarius et acrior qui pugnas sibi ipsas desumpserit,* h. e. quo maior est contra quem quis et quo acrior est qui contra illum pugnaverit, haec et conveniens est oratoris consilio sententia et unius Ciceronis exemplis illustrari potest, qui vel in causa ea quam primam publicam sustinuit et magnum aggressus adversarium et acriter in pugna a se recepta digladiatus insignem sibi et eloquentiae laudem peperit. In Taciti verbis id unum movere dubitationem possit, quod *pugnas sibi ipsas* dicit, cum potius exspectaveris dicturum fuisse *qui pugnas sibi ipse desumpserit,* id quod is qui codicem Leidensem exaravit suo periculo scripsit. Sed nos aut hunc correctorem sequi aut quae nostrae aetatis doctis placuerunt probare non satis tutum arbitramur propterea quod, ut mittamus alios, in ipso Dialogo capite XXXVIII, 18, *nullius magni oratoris liber apud centumviros dictus legitur exceptis orationibus Asinii quae pro heredibus Urbiniae inscribuntur, ab ipso tamen Pollione mediis divi Augusti temporibus habitae,* pronomen non suo loco suaque forma positum videtur; quodsi enim hanc sententiam ad accuratam cogitandi rationem exegeris, *ipsae tamen a Pollione* scribendum fuisse intelligetur*). Extrema oratio manca est, neque hoc fefellit interpretes, videtur autem satis certo, apte quidem certe suppleri hoc modo: *quorum ea natura est ut securi* [spectare aliena pericula] *velint,* sive quis malet, quo paullo etiam apertior fiat causa erroris, *quorum ea natura est ut secura* [spectare aliena pericula] *velit*; poterat enim haec ad *naturam* quoque sententia accommodari, velut Cicero scribit de Legibus 2, 15, 38 *canendi sonos, quorum dici vix potest quanta sit vis in utramque partem: namque et incitat languentes et langue facit excitatos,* et quod *natura* spectare dicitur, non dissimiliter Tacitus c. XXVIII, 30 locutus est. Sed formam supplementi Senecae acceptam referimus, qui ita scribit de beneficiis 4, 12, 2 *abire in partem alteram possim et securus spectare aliena certamina.* Eodemque Seneca in transcursu utemur duce, ut alterius loci hiatum qui nobis videtur expleamus, c. X, 39 *Sentio quid responderi possit: hinc ingentes existere assensus, haec in ipsis auditoriis praecipue laudari et mox omnium*

*) In adnotatione addimus peccari etiam ab iis qui c. III, 13 *hanc enim tragoediam disposui iam et intra me ipse formavi* non tolerantes *intra me ipsum* reponi iubent; quod etsi vulgari usu requiritur, tamen danda est illa libertas scriptori. Contra verissima sunt coniecturisque corrumpuntur quae c. XIV, 14 scripta sunt in libris '*Me vero*' *inquit* '*et sermo ipse infinita voluptate affecisset: atque id ipsum delectat, quod vos, viri optimi et temporum nostrorum oratores ... eiusmodi etiam disputationes assumitis.* Messalla enim sero adveniens *sermonem ipsum* iam audire non potest, sed argumentum tantum sermonis, atque *id ipsum* sibi placere profitetur quod illi talia quoque disputando exsequi non dedignentur.

sermonibus ferri. [Sed respondeo eo gravius recitantibus periculum afferri.] *Tolle igitur quietis et securitatis excusationem cum tibi sumas adversarium superiorem.* Sic certe, additis verbis *sed respondeo eo gravius recitantibus periculum afferri,* quae quo casu intercidere potuerint neminem fugit, sententiarum tenor commode reficitur. Atque hoc plane necessarium ducimus oratorem ad ea quae ipse sibi obiici posse professus est respondere. Exemplum autem Seneca dedit ita dicens in epistolis VII, 4, 17 *Scio quid mihi responderi hoc loco possit 'hoc nobis persuadere conaris nihil interesse utrum aliquis in gaudio sit an in eculeo iaceat ac tortorem suum lasset'. Poteram respondere 'Epicurus quoque ait sapientem si in Phalaridis tauro peruratur exclamaturum „dulce est et ad me nil pertinet". Quid miraris si ego paria bona dico unius in convivio iacentis, alterius inter tormenta fortissime stantis, cum quod incredibilius est dicat Epicurus dulce esse torreri'. Sed hoc respondeo plurimum interesse inter gaudium et dolorem.* Scripsimus *torreri. sed,* cum in libris sit *terroris et,* et *torreri* quidem iam Haasius restituit, reliquit *et,* quod ferri non potest; nam verba ita cohaerent: *poteram respondere .. sed respondeo.*

Sed redeundum est in viam. Capite XXXIII, 28 haec leguntur: *Sed si cui obscuriora haec videntur isque scientiam ab exercitatione separat, istud certe concedet, instructum et plenum his artibus animum longe paratiorem ad eas exercitationes venturum quae propriae esse oratorum videntur.* Sic editores Lipsii coniectura *paratiorem* recepta. Quae quam vera sit aut probabilis dubitationem iniiciunt ea quae ex codicibus afferuntur: *pate* Vaticanus (A), *paratū* sed *ū* in litura Leidensis, *aperte* Farnesianus, *parate* Vaticanus alter et Ottobonianus. Veterrimam memoriam servat ut solet Vaticanus, ex ea autem reliqua videntur pendere omnia. Verum in *pate* h. e. *perate* delitescere *paratiorem* aut quod Halmio in mentem venit *paratissimum* non admodum credibile est. Nos *perate* interpretamur *perantem* (*perātē*) additisque duabus litteris reciperamus vocem sententiae pariter et orationi accommodatam, *longe superantem,* i. e. nostro sermone *weit überlegen.* Hoc enim dicit Tacitus, longe superiorem fore animum qui illis artibus instructus ad exercitationes oratorum proprias veniat. Vix est quod adiiciamus *superans* participium, etiamsi numquam vim suam propriam exuat, quae ne nunc quidem quemquam fallere potest, tamen in usum paene adiectivi abire, ut *praestans,* velut Vergilius dicit Aen. VIII, 207 *quattuor a stabulis praestanti corpore tauros Avertit, totidem forma superante iuvencas,* et Tacitus ipse scribit in Agricola c. XXV, 5 *ne superante numero et peritia locorum circumiretur.* Pressius quam vulgo fieri solet codicum indicia sequenda ducimus etiam capite XXX, 5. *Transeo prima discentium elementa, in quibus et ipsis parum laboratur, nec in auctoribus cognoscendis nec in evolvenda antiquitate, nec in notitiam vel rerum vel hominum vel temporum satis operae insumitur, sed expetuntur quos rhetoras vocant. Quorum professio quando primum in hanc urbem introducta sit quam-*

que nullam apud maiores nostros auctoritatem habuerit, statim de curiis referam necesse est animum ad eam disciplinam qua usos esse eos oratores accepimus quorum infinitus labor et quotidiana meditatio et in omni genere studiorum assiduae exercitationes ipsorum etiam continentur libris. Nam quod pro *de curiis* quod esse in libris adnotatur editores plerique omnes Io. Fr. Gronovio adstipulati *dicturus* receperunt, id etsi minime culpamus, tamen ea coniectura veremur ne non assecuta sit id ipsum verbum quod scriptor posuerat. Nisi enim fallaci specie inducimur, in exemplari archetypo non *de curiis* fuit sed *decurus,* id autem per errorem scriptum pro *decursurus,* quemadmodum in Ciceronis Legibus 1, 23, 61 *recura* est in libris quod esse *recursura* debebat. Usum verbi Cicero illustrat de oratore 1, 32, 148 *ac tamen ista quae abs te breviter de arte decursa sunt audire cupimus.* Ac verbum ipsum nec librarium codicis Ottoboniani *decurrens* scribentem nec Lipsium fefellit qui talia proposuerat *statim decursis his,* sed recta demum forma verbi reciperata fidem fortasse addet suspicioni. Quam vero *statim* nonnullis offensionem attulit, eam putamus tolli posse, si quis cum cura progredientis orationis filum evolverit. Nos nolumus longi esse in enarrando argumento: hoc dicimus, illo enuntiato recte Messallam consilium suum aperire, qui, quoniam nunc properantius ab adolescentibus rhetores expetuntur, praeteritis primis discentium elementis et quae proxima sunt ab elementis, statim horum professionem apud maiores nullam habuisse auctoritatem declaraturus est ita ut veterum oratorum studia indefessa et omnes artes ac disciplinas amplectentia dilaudet. Similiter supra c. XXVIII. XXIX, ut in educando qui suo tempore obtineat morem perversum clariore in luce ponat, a maiorum usu et institutis initium capit. Esse autem illud quod dicimus revera Messallae consilium vel illa patefaciunt quae c. XXXI, 1 dicit: *Hoc sibi illi veteres persuaserant, ad hoc efficiendum intellegebant opus esse non ut in rhetorum scholis declamarent nec ut fictis nec ullo modo ad veritatem accedentibus controversiis linguam modo et vocem exercerent sed ut illis artibus pectus implerent in quibus de bonis ac malis . . disputatur.* Idemque alia per eandem orationem sparsa liquido demonstrant. Quodsi ita recte interpretamur, consequens est ut intime connectantur quae dicit *quorum professio quam nullam apud maiores auctoritatem habuerit statim decursurus referam necesse est animum ad disciplinam veterum oratorum,* haec autem necessaria cohaerentia plane perturbatur si aut cum Nipperdeio *non latius dicturus* aut cum Michaele illius auctoritate saepe fallaci irretito scribimus *iam non persecuturus.* Nam de emendandi probabilitate ut nihil dicamus (Nipperdeius certe argutatur cum aliis persuadere cupit *statim* non ita difficile mutari in *non latius*), hac ratione inita labantur necesse est nec quo innitantur habent verba *referam necesse est animum.* Quae vero Messalla in altera oratione sua, c. XXXV, 1, transeundo dicit *At nunc adolescentuli nostri deducuntur in scholas*

istorum qui rhetores vocantur; quos paullo ante Ciceronis tempora extitisse nec placuisse maioribus nostris ex eo manifestum est quod M. Crasso et Domitio censoribus cludere ut ait Cicero ludum impudentiae iussi sunt. Sed ut dicere institueram, deducuntur in scholas —, iis, quamquam verba conspirant, nec promissum illo loco datum exsolvit neque ad haec respicere in oratione prima omnino potuit. Sed omnis illa dubitatio interpretum nata est ex eo quia quas rationes Tacitus in distribuenda Messallae oratione secutus est non satis attente perspexerunt. Etenim Messalla posteaquam veterum oratorum studia enarravit, quae iam negliguntur ab iis, qui omnem salutem a rhetorum scholis petunt, hac una et prima depravatae eloquentiae causa exposita, subito finem imponit orationi (c. XXXII, 34), dein excitatus a Materno novum iter ordiens (c. XXXIII, 1. 15) cum utilissimis antiquorum oratorum exercitationibus forensibus inanes scholarum declamationes quae nunc vigent dedita opera componit. Itaque factum est ut de rhetorum curis apud maiores contemptis definitius in hac altera oratione agendum esset, cum tamen apertum sit novorum declamationes scholasticas tam veterum studiis artium quam eorundem usui forensi oppositas esse easque hoc nomine a Messalla etiam in prima oratione perstringi, id quod se facturum esse recte professus est illis verbis, quae nobis haec edisserendi causa fuerunt.

Properamus ad finem disputationis. Itaque omissa causarum expositione breviter locos duos, quemadmodum putamus scribi oportere, apponemus. Apparebit autem ex ipsa re, maxime si quis haec nostra contulerit cum iis quae adhuc probantur, nos his quoque conaminibus impense hoc agere ut quam plenissime traditae scripturae satisfiat. Sed prior horum locorum est capite VII, 13 *Quid fama et laus cuius artis cum oratorum gloria comparanda est, qui non * * illustres et in urbe non solum apud negotiosos et rebus intentos sed etiam apud iuvenes et adolescentes quibus modo recta et indoles est et bona spes sui.* Nullam litteram infleximus sed defectus indicium fecimus, quem vestigia memoriae secutus in hunc fere modum haud improbabiliter resarcias: *qui non* [in urbe modo sed in orbe sunt] *illustres, et in urbe non solum apud negotiosos sed etiam apud iuvenes.* Certe hanc duplicem quam effecimus sententiam multa sunt in ipso dialogo quae stabiliant et confirment, ex quibus attulisse unum non inutile erit, c. V, 20 *studium quo non aliud .. vel ad urbis famam pulchrius vel ad totius imperii atque omnium gentium notitiam illustrius excogitari potest.* Alter autem verba sunt Apri ineunte capite XXI, quae sic scribimus: *Equidem fatebor vobis simpliciter me in quibusdam antiquorum vix risum, in quibusdam autem vix somnum tenere. nec unum de populo * * Canuti aut Atti de Furnio et Toranio quique alios in eodem valetudinario* [ob] *haec ossa et hanc maciem probant: ipse mihi Calvus, cum unum et viginti ut puto libros reliquerit, vix in una et altera oratiuncula satis facit.* Adiecimus *ob*

praepositionem, ibi ubi facillime negligi a librariis potuit; praeterea nihil mutavimus et putamus hac una voce addita hanc quidem sententiam, in qua multa satis licenter temptarunt critici, reddi integram. Ceterum hunc quoque locum graviore defectu et illa quidem parte qua notam posuimus laborare manifestum videtur: prior sententia caret fine *nec unum de populo;* truncata capite est altera *Canuti aut Atti de Furnio et Toranio;* in hac autem ostendit ipsa orationis forma de iudiciis agi Canuti aut Atti de Furnio et Toranio; quibus nominatim allatis adnectuntur universe quicunque alios in eodem valetudinario h. e. alios iisdem quibus ipsi vitiis orationis aegrotantes ob haec vitia probant. Atque haec quidem, quae longe discedunt ab iis rationibus quas hodie plerique Nipperdeio maxime duce et auctore sequuntur, satis probabiliter statui videntur: de explendo hiatu pro rei natura incertior res est; tamen temptamus *nec unum de populo* [proferam: neque imitari iudicia volo] *Canuti aut Atti de Furnio et Toranio quique alios in eodem valetudinario* [ob] *haec ossa et hanc maciem probant.* De oratoribus nominatis nihil dicimus; de quibus quae sciri possunt alii collegerunt et in iis quidem quae constant nihil est quod adversetur opinioni, quam de sententiae conformatione non ex vanis ratiunculis sed ex librorum memoria concepimus.

Sed iam desinimus nec vos, Commilitones carissimi, quorum haec causa scripsimus, diutius morabimur quominus a minutulis adnotationibus philologis mentem advertatis ad dapes opiparas exquisitarum doctrinarum quas tabulis lectionum videtis expositas.

Scr. m. Octobri a. MDCCCLXXX.

END OF REEL PLEASE REWIND